

13

R. P. D.
C O R I O

Toletana Canonicatus ſuper Paritione, & Declaratoria.

Veneris 14. Ianuarij 1724.

POST iudicialitèr vindicatam ad exuberans complementum Statutorum Eccleſiæ Toletanæ per Ioſephum Iubera de vno ex Canonicatibus dictæ Eccleſiæ à S Sede prouiſum vſque ab anno 1712. ſui ſanguinis puritatem præuijs pluribus deciſionibus, nec non tribus Rotalibus Iudicatis coram Reuerendiſſimo Lancetta, coram bo. me. Anſaldo, & coram me à Signatura Gratiæ canonizatis cum clauſula *ſine præiudicio*, idem tandem pro effectu executionis litterarum Apoſtolicarum deuenit ad expeditionem Executorialium Rotalium. Aſt Capitulum Colligitans tantis adhuc non contentum experimentis, neque ex tot ſententijs de malo eius iure ſatis admonitum, quinimò acriores exinde

de stimulos desumens, plures renouare contentiones animo, factisque non destitit, quousque demùm paritionem detrectare amplius non posse prænoscens in ea exhibenda, prætèr consuetum morem insufficientèr adeò, adeoque intemperantèr (quod quantum Ecclesiasticos, & ingenua cœteroquin nobilitate præditos viros dedeceat nemo non videt) se gessit, vt pro sui Iuris, famæque tuitione coacto eodem Iosepho super hac etiam insueta, & contumeliosa parendi methodo quæstionem instaurare, DD., de more à me hodie interrogati = *An constaret de paritione, seù potiùs esset relaxanda Declaratoria* = respondere non hæsitauerint = *non constare de Paritione & esse relaxandam declaratoriam iuxta modum.*

Etenim si in iudicatis Rotalibus eo sub intuitu, quod nec vlla contra Iosephi familiam probaretur impuritas, quæ eius admissioni consentaneè ad statuta Ecclesiæ obstaculum facere posset, imò quod vndique puritas probata mansisset, vt signanter videre est in postrema decisione *diei* 11. *Ianuarij* 1723. *coram Me* pro executione litterarum Apostolicarum demandata legitur d. Iosephi inductio in possessionem Canonicatus, & quidem *liberè, & sine difficultate, contradictionibus, & obiectionibus reiectis*, vt habetur in prædictis Executorialibus; Vtique sufficiens excludebatur paritio, hoc ipso, quod Capitulum possessionem quidem extradidit, sed non alitèr quam præcedente longa, & iniuriosa protestatione nè dùm in libris Capituli registrata, & per copias penes quoscumque signantèr Capitulares effusa, ac in ipso Instrumento possessionis inserta, sed altà & intelligibili voce à Secretario Capituli toti Populo impudentèr recitata, qua sub eisdem reiectis in decisionibus Causæ futilibus exceptionibus impuritas Iosephi constantèr proclamabatur, & simul Maiestas Sac. nostri Auditorij æqua lance iustitiam ministrantis temerè carpebatur; Id enim verè potiùs illudere, quam sinceram visum est exhibere obedientiam, qualis Rotalibus, imò veriùs Apostolicis mandatis debetur à Capitulo signantèr insigni, quodque maiori supra cæteros dignitate præcellit, maiori quoque cum reuerentia, & promptitudine eadem suscipere tenebatur, vt præcisè de Toletano Capitulo aduertit *Rot. decis.* 75. *nu.* 3. *coram Ottobon.* Ideoque indebita hæc, & omninò repræhensibilis methodus simulandi paritionem cum tam clamosa diffamatione prouisi, quæ nec congruit extraditioni possessionis, *liberè obiectionibus reiectis*, imò directè aduersatur Statuto Ecclesiæ, quod in actu admissionis puritatem requirit, in nihilo suffragari valet, cum qui facit, quod facere non debet, non videatur facere id, quod facere debet, & malitiosè implens, non implenti omnino æquiparetur ad *Text. in l. quoties ff. qui Satisd. cog. l. vbi exigitur ff. de æden.*, & generalibus omissis in his præcisis terminis contra idem Toletanum Capitulum, respondit *Rota in decis.* 308. *post secundum volumen Farinac.*

Ne-

Neque enim contumaciam tanta in debita exhibenda paritione declinari valuit suadendo, quod Capitulo prohibitum de jure non fuerit protestari, & jura sibi reseruare iuxtà *decis.9. de Sent., & reiudic. coram Moedan.*; Quippè, & id certo certiùs per Iosephum non contendebatur, sed aliud visum fuit juribus omninò non cedere, eaque mediante protestatione in actis integra sibi reseruare in deuolutiuo deducenda, aliud vero sub pallio protestationis contrariam sententijs, atque executorialibus assertionem, agrestibus præstereà, atque inuerecundis oblocutionibus comitatam emittere, eamque palam recitare, atque in libris Capituli insertam habere ad futuram memoriam cum non modico veritatis ex re iudicata deriuantis possibili detrimento, atque prægrandi Iosephi, eiusque familiæ præiudicio, vt obiecto itidem respondendo prosequitur *Rota d. dec.308. §. Neque obstat post Farinacc.*

Rursus, & alia suppetit æquè clara inobedientiæ causa circà restitutionem fructuum, quos Tribunal per rem iudicatam restitui mandauit; quosque Capitulum in nulla portione offerens, indebitos esse respondit. Non suffragante ratione per Capitulum allegata quod nempè iuxta Constitutiones, & Statuta Ecclesiæ fructus non deberentur ei, qui residentiam non fecerit in scamno patientiæ, in quo sedere solent Prouisi durante termino probationum, si enim non quælibet excusatio apta noscitur ad eximendum à paritione superioris Iudicis mandatis ex adductis per *Rot. coram Bichio dec. 597. n. 11., & seqq., & in Burgen, Iurisdictionis, seù Visitationis de Oña super paritione, & declaratoria* 20. *Martii* 1722. §. *Neque enim coram Me*, profectò id minus tribui valet rationi illi non factæ residentiæ in scamno patientiæ, tùm quià Constitutiones, & Statuta Ecclesiæ, ad quæ fuit alligata, numquam fuerunt exhibita, sed hodiè tantum instabatur pro remissoria, quo casu exceptio hæc omninò turbida, atquè altiorem requirens indaginem, qualis continuò reputatur ea, quæ est probanda per *Testes Pacion. de locat. cap. 65. n. 84. Rot. dec. 80. n. 3. coram Cerro, & in Romana Dotis 2. Iulij* 1700. §. *Addito cor. bo. mc. Ansaldo* executionem rei iudicatæ, & debitam paritionem non præcedit; vt prosequitur *Rot. in d. Burgen. Iurisdictionis seu Visitationis dè Oña super paritione, & Declaratoria* §. *Neque enim cor. Me* Tum quià eadem ass. residentia in scamno patientiæ necessarià fortasse dici poterat in casu, quo Prouisus instetisset pro consecutione fructuum à die factæ Capitulo præsentationis suarum litterarum Apostolicarum sub die 3. Octobris 1712., pendente nempe processu super eius sanguinis puritate, secùs verò dum fructus petijt à die 2. Ianuarij 1713., qua post apertum processum vti iam qualificatus debebat admitti, fuitque iniustè reiectus, quo casu indebitè præpeditus suam residentiam incipere vere in omnibus habetur pro Residente iuxtà vnanimiter firmata per *Gozal. ad regul. 8. Cancell. §. 3. proem. n. 38., & Gloss. 27. n. 46. Barbos. de Canonic.*,

nic., & dignit. cap. 18. n. 13. §. Amlia Rot. coram Seraphin. dec. 1098. n. 5., & contra Toletanum Capitulum Rot. dec. 227. per tot. coram Pamphil.

Minusque suffragari poterat, quod fructus non fuerint præcedentes liquidati, præter quod enim Capitulum vlli liquidationi assensum non prebuit, deponendo aliquam certam summam sub obligatione soluendi residuum, vt obsequendo Litteris executorialibus fieri consueuit, & pro effectu euitandi declaratoriam aduertunt *Adden. ad Buratt. dec. 17. num. 6. vers.* dum autem nihil offert *Rot. dec. 254. n. 8. par. 6. cum alijs in Augustana Canonicatus super fructibus & declaratoria 7. Maii proxime præteriti §. Haud obstante coram Me.*

Exulat tamen pænitus illiquiditatis exceptio, hoc ipso, quod Capitulum, nedum habet in manibus libros, in quibus distinctè notari solet quid ad vnumquemque Canonicum spectet, sed quot annis persoluit Tribunali Sac. Inquisitionis fructus vnius Canonicatus vndè nullo iure euitare potest declaratoriam, vt in his terminis respondit *Rot. cor. Cocc. dec. 1161. n. 26. in rec. dec. 254. n. 9. par. 6. dec. 90. n. 8., & 22. par. 7., & in d. Augustana Canonicatus super fructibus, & Declaratoria §. Haud obstante coram Me.*

His autèm attentis apertis, & irrationabilibus contrauentionibus quemadmodum de non debita paritione constare palam emergebat ità & simul consequebatur, quod post seruatos solitos quatuor terminos, locus esset declaratoriæ, quam Domini iuxtà modum mox exprimendum censuerunt adhesiuè ad stilum, de quo *Vestr. in prax. lib. 8. cap. fin. n. 17., & seqq. Rot. cor. Buratt. dec. 264., & in d. Augustana Canonicatus super fructibus, & declaratoria, & in Burgen. Iurisdictionis; & Visitationis de Oña super paritione, & declaratoria. 6. Decembris proxime præteriti vtrobique sub initio cor. Me, & contra idem Capitulum Toletanum Rota dec. 75. n. 1., & seq. cor. Ottbobon., et d. dec. 308. post secundum volumen. Farinacc.*

Modus autem superadiectus is fuit, quod nempè relaxaretur declaratoria cum præfixione noui termini trium mensium, quo interim ab obdurata contumacia sperari valeat resipiscentia, qua mediante Capitulum Apostolicis mandatis reuerentèr parere discat, & glorietur, quodque vt ea, per quæ fuit excessum, pro effectu veræ paritionis sufficientèr tollantur, solemnitèr deleretur supradictaomninò indecens protestatio, eam videlicèt è libris Capituli PALAM obliterando, nequoque, reticita in futurum re iudicata eadem tantam in perniciem Familiæ Iosephi allegari contingat, vt in causa de Ouiedo in qua emanauerat supra allegata *decis. 308. post Farinacc.*, aliaque etiam in deuolutiuo superuenerat res iudicata, nuper non sine admiratione accidisse compertum est.

Et ità vtráque &c.

ROMÆ Typis Reu. Cam. Apost. 1724.) (*Superiorum permissu.*